

- Romam tum transit, thesaurus uterque remansit.
 Insula pulchra satis requies peramoena beatis
 45 Christo dante datur, Lycaonia quae vocitatur¹
 Urbis Romanae patribus Christo duce sanae,
 Petro pastori, Paulo vitae monitori,
 Totus purpureus lateratur Bartholomaeus.
 Est rosa iuncta rosis, pretiosa simul pretiosis,
 50 Tertius his binis peregrinus adest peregrinis.
 Tres coapostolici, digni tria sidera dici,
 Sunt Romae muri nec, cum ruit haec, ruituri.
 Sunt et sint patres, o Roma, tibi, tibi matres,
 Patres doctores, per quorum verba refflores.
 55 Insula congaude, gaudens Lycaonia plaude,
 Servans thesaurum super argentum, super aurum,
 Quippe super lapidem pretiosum fulget et idem.
 Congere lamentum, da planctum tu Beneventum,
 Effunde ventum, corpus dicendo retentum,
 60 Roma tenet corpus, tu famam, tu modo tumbam,
 Roma tenet corpus, tu non nisi corporis umbram.
 Iam perdis nomen, quia perdis nominis omen.
 Fraus male subvenit, Benevento non benevenit,
 Ob detrimentum Benevento fit maleventum.
 65 Tu cane dulcimodis, cane Roma celebribus odis,
 Cantans exulta, numeroso martyre fulta,
 In quorum numero, sub mundi vespere sero,
 Fers geminum florem, qui vitae spirat odorem,
 Paulini nivei, rubicundi Bartholomaei.
 70 Te mire decorant flores, quin immo decorant^a.
 Caesaribus pollens olim vel cornua tollens
 Nunc magis eveheris, patribus bene subdita viris.
 Sic iocundetur, decantet, vociferetur
 Insula, cum detur sibi, quod speciale tenetur.
 75 Sint ibi sanctorum quod corpora sancta duorum,
 Moribus oppressi relevent ibi daemone fessi,
 Flet fur, lepra fugit, patet os, stat pes, [leo rugit]^b.
 Nunc unum signum dignis patribus noto dignum,
 Quod multis certum signis patet, exi[n apertum]^b.

a) Die Hs. hat 'decorant'. b) Der Rest der Zeile ist unleserlich;
 die Ergänzung ist nicht sicher.

1) S. acta s. Calepodii presb. et m. (A. SS. Boll. Mai t. II, p. 501 § 6) und s. Eugeniae virginis et m. cap. 28 (Migne P. L. XXI, col. 1122); Mirabilia urbis Romae cap. 30 (Jordan, röm. Topographie II, 643); Urk. Paschals II. vom 15. April 1111 (Jaffé-W. n. 6292, Migne P. L. CLXIII, col. 287); vita Gelasii II (lib. pontif. ed. Duchesne II, 311).